

*Secundò.* Post Claves notatas in pentagrammis, divide omnia quatuor simul in septem æquales eisdem partes, seu columnas, à summo deorsum, appositis in vertice, aut calce, aut utrobique, septem litteris A,B,C,D,E,F,G; eisdem nimirum, & eodem ordine, prout in Bacillis musurgicis præcedenti Capite factum fuit.

*Tertiò.* In singulis columnis pone puncta & numeros, prout in Figura appetet. In Basis tamen pentagrammo ponere potes loco punctorum notas musicas semibreves, aut alterius valoris; perinde enim est: & habebis Abacum Melotheticum ( quem & Mensam Musurgicam appellare possumus) pro quovis tetraphono, imò polyphono quotunque Vocum, contrapuncti simplicis.

Hunc Abacum vocamus Contractum, ad differentiam alterius Expansi, quem postea dabimus.

### §. II.

#### *Columnnam heptaëdram Melotheticam construere.*

**A**BACUS PRÆdictus potest etiam disponi in circuitu columnæ Vide Iconis.  
48. Fig. II. cuiusdem lignear, heptagonar, seu heptaëdrar, aut octogonar, scribendo in uno ejus latere Claves musicas & signaturas Vocum, in reliquis septem puncta cum numeris & litteris in septem Abaci columnis notatis, prout aliqualiter in Figura II. Iconismi præcedentis appetet. Usus autem eam Abaci, quam columnæ, idem est, ut sequitur.

### §. III.

#### *Datâ Voce Basis, quotlibet super eam Voces alias superstruere, ope Abaci melothetici contracti, aut columnæ melotheticae.*

**S**It data clausula Basis, ut sequitur, notarum septem, notata in pa-  
limpsesto, aut quavis alia charta, in qua signata quoque sint  
reliquarum Vocum pentagramma.

I I I I I 2

Bassus